



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, MDCCXVIII**

Casus IV. Argumentum. An Juspatronatus transeat cum universitate  
sequestrata ad sequestrem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

renunciat. centur. 1. renunciat. 17. num. 37. Palmanep. alleg. 307. num. 26. Rot. in dicta Romana renunciationis 23. Januarii 1708. S. Ratio, & 6. Maji 1709. S. Neque coram Eminentissimo Scotto, & 10. Decembris 1710. S. Sed statim coram Eminentissimo Priolo, & 10. Martii 1710. S. Quamobrem coram R. P. D. Crispo.

14 Propterea cum Juspatronatus, & hæreditas præfata relicta ab extraneo familia Titii, non competeat huic de tempore renunciationis nec re, nec spe, sed erant bona futura ex causa de futuro Titio omnino incognita, dum numquam cogitabat, quod extraneus præfatus esset relictorum suæ familiae Juspatronatus unâ cum dicta hæreditate, Titius proinde in hac renunciatione, sicuti non potuit extendere cogitationem suam ad Juspatronatus, & hæreditatem prædictam, ita nec valuit ad ea renunciationem protrahere. Menoch. conf. 71. num. 31. Surd. dec. 326. nu. 52. Rocc. respons. 87. nu. 4. tom. 1. Rota in Romana Successionis 4. Februarii 1711. S. Ac propterea coram Reverendissimo Molines.

Hinc descendendo ad ea, quæ superius pro ratione dubitandi in contrarium afferbantur ipsa non merentur attendi, quia procedunt in renunciatione reali, & abdicativa, non verò personali, prout est  
15 ista, de qua agitur. Nec ex eo, quod sæpè dicta renunciatio fuerit facta à Titio occasione ingressus in Religionem præsumenda est abdicativa, & realis; Quoniam licet professus in Religionem non præsumatur sollicitus bonorum temporalium, quoad se ipsum; tamen præsumitur sollicitus bonorum temporalium quoad proprium Monasterium capax possidendi in communi tam ex conjectura pietatis erga illud, quàm etiam, ut commodius sibi necessaria suppeditaret, dum inverisimile omnino est, quod quoscumque extraneos hæredes in vim propriae renunciationis succedere voluerit excluso proprio Monasterio, & quod prædilexerit quoscumque hæredes extraneos etiam ignotos potius quàm ipsum Monasterium, à quo alitur, & quod habet loco Patris, juxta Bald. conf. 347. n. 2. lib. 1. Pannimol. dec. 7. annot. 2. n. 11. Mans. consult. 296. sub n. 50. tom. 4. Rot. dec. 48. n. 15. & seq. post Merlin. de legitim., & in Perusina Immissionis

15. Januarii 1706. S. Non relevante coram Emo Scotto, & in Romana Successionis 4. Februarii 1711. S. Comperio coram Rato Molines.

16 Nec adversatur, quod renunciatio fuerit facta à Titio non solum favore proprii fratris, sed etiam favore hujus filiorum, & hæredum, & consequenter non solum frater Renunciarius, sed etiam hujus hæredes succedere debebunt in utroque Juspatronatus unâ cum supradictis universitatibus, utpote in hac renunciatione contemplati; Quoniam nomine hæredum hic non veniunt hæredes extranei, sed solum hæredes sanguinis, & descendentes à Renunciario, juxta Altograd. conf. 43. nu. 55. & seqq. lib. 2. Andreol. controv. 310. num. 26. Saminat. controv. 100. n. 9. Mart. de success. legal. par. 3. quest. 6. art. 1. num. 6. Cyriac. controv. 475. nu. 10. & seqq. Rota in dicta Romana renunciationis 17. Junii 1709. S. Et licet regulariter coram Eminentiss. Priolo.

#### ARGUMENTUM.

An Juspatronatus transeat in Creditorem cum re pignorata?

#### SUMMARIUM.

- 1 Juspatronatus non transit in Creditorem cum Universitate pignorata.
- 2 Juspatronatus ratione pignoris non est possessibile per Creditorem.

#### CASUS IV.

**T**itius pignore obligavit Cajo Creditori Villam, aut aliam Universitatem realem, in qua erat Ecclesia de suo Juspatronatus; Quo casu quaeritur, an Juspatronatus transeat in Creditorem cum re pignorata, itaut vacante Ecclesia annexa rei pignoratae, præsentatio spectet ad Creditorem?

- 1 Respondeo negativè, Juspatronatus namque ratione pignoris non est possessibile per Creditorem, quia Creditor debet restituere fructus rei pignoratae, vel computare eos in sortem, cap. cum contra de pignor., & cap. 1. de usur. Præsentatio autem, quæ est fructus Jurispatronatus non potest restitui, quia præsentatus per Creditorem, & institutus non potest removeri, juxta Text. in cap. Consultationibus, de quo infra, nec potest computari in sortem,

fortem, quia non est pretio æstimabilis, juxta *supradictos Text. in cap. Quia Clerici*, & *in cap. De jure*; Adeoque translata Universitate in Creditorem ratione pignoris, non transfertur in eum Juspatronatus, ut expressè deducitur ex *Text. in cap. Cùm Bertoldus de sent. & re judic. ibi*— Cùm Bertoldus Miles Curiam suam P. Militi pignori obligasset eodem P. sublato de medio A. nepos ei, qui successit eidem vacante Ecclesia ejusdem loci, asserens, quòd juspatronatus cum universitate transisset in eum C. Clericum ejusdem loci Archidiacono ad *supradictam Ecclesiam presentavit*, qui de consensu Episcopi ipsum instituit in eadem F. Prædictus verò Bertoldus Dominus fundi. T. Sacerdotem memorato Episcopo presentavit, sed ipsum Episcopus non admisit. Cùm autem dictus T. adversus memoratum D. super prædicta Ecclesia deposuerit quæstionem, Remen. Episcopus Apostolica Sedis Legatis Judicibus negotium delegavit, ad quem cùm attestaciones utrinque receptas per partes postmodum remisissent, & præfato D. cum suis attestacionibus accedente dictus T., nec per se, nec per responsalem idoneum comparere curaret, ipse attestacionibus inspectis, Clerici memorati ipsum ab impetitione T. sententialiter reddidit absolutum, eidem T. imponens silentium super Ecclesia memorata. Postmodum autem idem Presbyter ad Archiepiscopi presentiam infra limine tempus accedens justam causam absentia allegavit F. unde sententiam ipsam duximus irritandam memorato T. adjudicantes Ecclesiam *supradictam*, cùm per attestaciones nobis constiterit evidenter ipsum à vero Patrono fuisse ad *sape dictam Ecclesiam presentatum*— ibique *Gloss. verb. Patrono*, Abb. num. 2. Bellamer. num. 2. & 10. Butr. num. 25. Gonzal. num. 2. Barbof. n. 2. Imol. in cap. cùm dilecta de concess. præben. num. 13., & firmant Innoc. in princ. Abbas Anan. num. 2. Butr. num. 10. Bero. nu. 31. & 36. Fagnan. num. 16. in hoc Can. XIV. Fa- lin. in cap. cùm Bertoldus de re judic., & in cap. ad audient. de præscript. Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 2. quæst. 9. art. 2. Rocch. de Curt. eodem tract. in verbo is, vel ipse q. 27. num. 60. Garz. de Benefic. par. 5. c. 5. num. 10. & cap. 6. num. 6. Vivian. de jurepat. lib. 4. cap. 7. num. 8. S. Neque Rot. in Romana Cappellania 3. Junii 1711. S. Ter- tiò coram R. P. D. Ansaldo.

## ARGUMENTUM.

An Juspatronatus transeat cum Universitate sequestrata ad sequestrum.

## SUMMARIUM.

- 1 Juspatronatus non transit ad sequestrum si ex Officio Judicis sequestratur, seu deponatur Universitas penès tertium, eo quia sit gravata are alieno, aut ex alia causa.
- 2 Juspatronatus non transit ad simplicem depositarium Universitatis, cui est annexum.
- 3 Juspatronatus non transit ad sequestrum, si aliquis propria voluntate posuit sub sequestro penès tertium Universitatem, eo quia super illa mota sit sibilis.
- 4 Juspatronatus transit ad sequestrum, si contententibus duobus possidere Universitatem, itaut ignoretur, quis eorum sit Dominus, dicta Universitas sequestratur.
- 5 Sequester terminata lite debet vincenti restituere fructus qui servando servari possunt.

## CASUS V.

Queritur, An sequestrata Universitate Juspatronatus ei annexum transeat in sequestrum, itaut vacante Ecclesia Patronali tempore sequestri præsentatio spectet ad ipsum sequestrum?

- 1 Respondeo in hoc articulo, distinguendos esse plures casus. Primus est, si ex officio Judicis sequestratur, seu deponatur Universitas penès Tertium, eo quia sit gravata are alieno, aut ex alia causa. In hoc casu juspatronatus annexum dictæ Universitati, non transit ad illum Tertium, seu ad sequestrum, sed remanet penès primum possessorem dictæ Universitatis; quia ob hoc sequestrum, iste non dicitur possessione Universitatis sequestratæ privatus, sed adhuc mediante persona illius sequestri possidere, juxta *Barthol. Bald. in l. unica C. de prohib. seq. pecu. & alios penès Menoch. de remed. retinend. possess. remed. 3. num. 88.* Ergo ad primum Possessorem, vacante Beneficio tempore hujus sequestri spectabit juspræsentandi juxta *Text. in C. consultationibus*, de quo infra. Et quia illæ Tertius, penès quem sequestrata fuit dicta Universitas, est simplex